

valorem metalli e quo nummi confecti sunt, distantiam regionis in qua valorem legalem habent, etc. ab isto pretio legali differre potest pretium vulgare. Ita etiam crescere minuive potest pretium pecuniae quae post aliquod tempus solvenda promittitur, puta propter temporis spatium quo alter contrahens, qui pro pecunia promissa tradit pecuniam praesentem, re sua carere debet (n. 617), propter periculum ne pecunia promissa non recuperetur, etc. Pretium istud vulgare pecuniae, tum praesentis, tum promissae, hodie foliis publicis nuntiari solet, nec quidquam prohibet quominus in conscientia ut justum habeatur.

2º Ut non exigatur major merces quam quae servitio, per permutationem praestito, aequivaleat. Ita minor merces juste exigi potest ubi in eodem loco pecunia unius regionis cum pecunia alias regionis commutatur; major, si praeterea virtualiter saltem transfertur pecunia in locum dissimum, in quo alter contrahens eam habere cupit, vel etiam variae expensae facienda sunt ad hujusmodi servitia habitualiter praestanda, ut contingit campsoribus, etc.

De cambio litterisque cambialibus fusius dicere supersedebimus: ne, absque magna utilitate practica, plurimas notiones exponere cogamur quae potius ad negotiatorem quam ad theologum moralem pertinent. Eas, secundum leges Batavas, explicat Marres. (n. 302 seqq.) In Belgio consulendus Codex commercialis Tit. VIII. *De la lettre de change et du billet à ordre.* (Leges Belgicae 20 Maii 1872 et 10 Julii 1877) Ceterum justitia fere semper nihil aliud, etiam in conscientia, jubebit quam ut serventur legis determinationes vel proborum negotiatorum usus.

CAPUT V.

DE DEPOSITO ET SEQUESTRO.

623. I. Depositum est contractus realis quo res aliena mobilis suscipitur custodienda et in individuo restituenda. (C. C. a. 1917 seqq.)

Contractus ille, in Jure nostro, dicitur essentialiter gratuitus; postea tamen mentio fit de deposito pro cuius custodia depositarius salario poposcerit. (a. 1928) Reapse, si de salario convenit, potius locatio operae quam depositum est. Attamen quae hic dicuntur, de utroque contractu procedunt, facto tautum discrimine in culpa juridica quae inducat restituendi obligationem, ut infra exponetur.

Distinguitur depositum *voluntarium* et *necessarium*. Prius oritur e mutuo consensu deponentis et depositarii; posterius, e necessitate quam inducit incendium, naufragium aliasve inopinatus casus. Huic etiam

assimilatur custodia quae hospitibus (aubergistes, hoteliers) incumbit circa res viatorum qui in eorum domo hospitantur. (C. C. a. 1952) Iisdem legibus regitur depositum, seu voluntarium, seu necessarium sit.

II. Praecipuae **obligationes depositarii** sunt sequentes:

1º In deposito custodiendo eamdem diligentiam adhibere debet quam suis rebus adhibet. Ad strictiorem autem seu *boni patrisfamilias* diligentiam praestandam tenetur: si se sponte obtulit ad depositum custodiendum; — si pro custodia salario stipulatus est; — si depositum unice in gratiam depositarii factum est: — si conventum est ut de quavis culpa responderet. (a. 1927 seqq.)

2º Petenti depositori reddere debet rem cum fructibus quos ex ea forte perceperit, non tamen pecuniae depositae faenus, nisi a die qua rogatus fuerit ut eam restituat. (a. 1936) Quandoque justitia eum obligaret ad rem depositori non reddendam, nempe si certo comperiret eam esse furto sublatam et legitimo domino eam reddere posset; quandoque caritate ab ea statim reddenda prohiberetur, nempe si praevideret depositorem ea male usurum esse, praesertim in tertii detrimentum; sed reddere eam posset si grave incommodum in ea deneganda experiretur, ut e generalibus principiis de caritate liquet.

3º Depositarius damnum reparare debet, etiam ante judicis sententiam, si res perit vel deterior facta est ob gravem ipsius culparum theologicam, vel si expresse quocumque rei periculum in se suscepit. Insuper ad compensationem tenetur, sed post judicis sententiam tantum, si res perit vel deterior facta est ex ipsius culpa juridica. Tandem si idem casu, absque ejus culpa, accidit, non tenetur ad hoc damnum reparandum nisi rogatus fuerit ut rem restitueret: quod ultimum tamen intellegendum est, tantum post judicis sententiam. (a. 1929) E principiis generalibus de restitutione patet, eum teneri ad reddendum id quod adhuc in aequivalenti de re aliena possideret, ex. gr. pecuniam quam e deposito bona fide vendito haberet. (a. 1934 seqq.)

4º Deposito uti nequit sine licentia expressa vel praesumpta deponentis. (a. 1930) Haec autem licentia ut prudenter praesumatur, attendendum est ad varias rerum et personarum circumstantias, praesertim ad detrimentum vel periculum cui res per hunc usum exponi possit. In specie, quando res est usu consumptibilis, ut pecunia, communis sententia Theologorum docet (Lugo, disp. 33. n. 4) non committi grave peccatum ab eo qui eam consumat, dummodo certus sit se in promptu habiturum esse rem aequa bonam quam restituat: nam haec infidelitas condicionibus contractus non videtur gravem injuriam depositori inferre. Sed cavendum est a periculo impotentiae ad restituendum, quod praesertim hodie magnas negotiationes vel speculationes tentantibus

frequentissime occurrit et procul dubio gravem hanc infidelitatem reddit. Quodsi depositarius lucrum vel faenus perceperit e pecunia aliave re quam otiosam servare debebat, hunc industriae fructum retinere poterit. (Marres, l. 4. n. 95 seqq.)

III. Depositoris obligatio duplex est : ut solvat expensas a depositario pro re custodienda factas, et reparet, saltem post judicis sententiam, damna quae ille occasione depositi passus fuerit. (a. 1947)

624. IV. Sequestrum artam conexionem cum deposito habet, et potest vel privata conventione vel auctoritate judicis effici.

Sequestrum *conventionalis* est depositum ab uno vel pluribus factum rei litigiosae apud tertium, qui vel gratis vel statuta mercede se obligat ad eam, finita controversia, reddendam cui de jure competit. (a. 1956 seqq.) Si gratis hoc onus suscipitur, iisdem legibus subjacet ac depositum proprie dictum; secus, applicandae sunt regulae quae pro locatione operae ponuntur. (a. 1958) Antequam controversia sit finita, nequit depositarius ab onere quod suscepit liberari, nisi de consensu omnium partium interesse habentium, vel ob causam quam judex legitimam esse pronuntiarit. (a. 1960)

Sequestrum *judiciale*, ex. gr. rei litigiosae, datur personae quam vel partes elegerunt vel judex designavit; secum trahit omnes sequestri conventionalis obligationes. Custos ille, ex ipsa contractus natura, jus habet ad congruam mercedem, res autem sibi commissas, tamquam bonus paterfamilias, custodire debet. (C. C. a. 1961 seqq.)

CAPUT VI.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

§ 1. DE NATURA ET EFFECTIBUS HUJUS CONTRACTUS.

625. NOTIONES. Emptio venditio definiri potest : Contractus quo certa res datur pro certo pretio. Igitur ad eam constituendam requiruntur tria : res, pretium, consensus. Quodsi unum ex his tribus elementis deficit, venditio nulla est, ex. gr. si res totaliter periret eo quo venditur momento. (C. C. a. 1601) Actus coram notario vel sub privato chirographo, in Jure nostro (a. 1341) requisitus ut coram judge constet

de obligatione solvendi summam 150 fr. excedentem, minime necessarius est ut eadem obligatio in foro conscientiae vigeat : ideo injuste agunt qui a contractu venditionis recedunt eo quod nulla scriptura de eo constat.

Vendi possunt res omnes quae in commercio sunt, etiam jura incorporea, ut credita, chirograpba, jura in tertium vel in hereditatem apertam, jura etiam litigiosa pro rata probabilitatis fortunae secundae. (a. 1689 seqq.) At prohibetur vendi hereditas viventis, etiam consentientis. (a. 1600) Si res vendita aliena erat, non venditoris, venditio haec in Jure nostro declaratur nulla ; attamen si venditor scivit, emptor vero ignoravit eam alienam esse, prior ob dolum hunc tenebitur, etiam in conscientiae foro, indemnem praestare posteriorem. (a. 1599) Disputant autem jurisperiti utrum nullitas illa sit absoluta et ante judicis sententiam completa, an relativa et per judicem inducenda. Cfr. n. 526.

Dominium rei venditae, in Jure nostro, transfertur ad emptorem statim ac de re et pretio conventum est, etiamsi res nondum tradita, nec pretium solutum est. (a. 1583) At non transfertur dominium quando res non est determinata, nempe quando merces non globatim (en bloc), sed juxta pondus, numerum vel mensuram venduntur, ex. gr. decem modii frumenti ex acervo. Neque venditio rerum quae, antequam emantur, gustari solent ut vini, olei, etc., perfecta est antequam emptor eas gustaverit. (aa. 1585, 1587) Adverte tamen has determinationes juris positivi mutari posse per voluntatem contrahentium, ut non raro fit; insuper alia jura aliter disponere, ut Jus Romanum, cum nonnullis recentioribus, ex. gr. Batavo, quae statuant dominium rei in emptorem sola traditione transferri.

De venditione quae fiat sub condicione suspensiva vel resolutoria, nihil est speciatim dicendum, sed applicanda generalia principia de contractibus condicionatis. (n. 595)

626. Obligationes venditoris sunt praesertim sequentes :

I. Tenetur rem venditam emptori tradere eo loco et eo modo qui privata conventione, vel, ea deficiente, legibus civilibus (C. C. a. 1604 seqq.) aut consuetudinibus receptis determinati sunt. Eam autem tradere debet cum suis accessoriis et iis omnibus quae ad ejus usum perpetuum destinata sunt : quaenam illa sint declarat C. C. a. 517 seqq. Insuper cum, in Jure nostro, dominium solo consensu transferatur, manifestum est omnes rei fructus a die venditionis ad emptorem pertinere.

Si res casu perit ante traditionem, venditor ad nihil tenetur ; perit enim